



Sammeld

7. Bd = noch - Ki 4065

Sl.

+

9. 36. 36

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,

FRIDERICO AVGVSTO,  
DE

**GYNÆCOCRATIA  
MARITALI,**

ExOeconomicis,

*Ad Diem XIX. April. A.C.M. DCCIV.*

H. L. Q. C.

PRÆSES

**M. GOTTLIEBUS SCHELGVIGIVS,**

Gedan.

ET RESPONDENS

**SAMUEL RICHTERUS,**

Nimicienf. Silef.

DISPVATIONE POSTERIORI,  
diferent.

---

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI GERDESII.

35a



RECTOR MAGNI GENISSIMO  
FRIDERIGO AUGUSTO  
DE  
GYNÆCOCRATIA  
MARTIA  
EXORDIUM  
M. GOTTFRIDUS SCHELVIGIUS  
ET RESPONDENS  
SAMUEL RICHTERUS  
DISPUTATIO POSTERIOR  
CHRISTIANUS



§. VI.

**C**Um vero Grotianæ sententiæ de consensu pacto-  
que inter personas matrimonium contrahentes,  
inito, atque sexus differentiæ in investigando po-  
testatis maritalis fundamento annexo, §. 2. men-  
tio a nobis injecta fuerit, liceat jam quid præsidii  
huic assertioni inesse nobis videatur, exponere, paucisque  
inquirere, an hic maritalis in uxorem juris fons pro ge-  
nuino sit habendus. Subscribentes Grotio scimus Cl.  
V. JO. HENR. BOECLERUM, (a.) LAMBERTUM  
VELTHUSIUM, (b.) JOH. GEOR. de KULPIS, (c.) VA-  
LENT. VELTHEMIUM, (d.) SAM. PUFENDORFFI-  
UM, nisi quod hic *ex principali pacto matrimonii, merito jure na-  
turae hoc imperium non resultare, sed positivi duntaxat juris or-  
deri posse arbitretur*, (e.) & *Excellentiss. Dn. JOH. CHRIS-  
TOPH. ROSTEUSCHERUM*, qui priorum men-  
tem erudito discursu fusius explicat; (f.) a quibus omnibus,  
ut pace Tantorum Nominum summa affectuum modestia  
dissentiamus, rationum pondera nos urgent.

§. VII. Supponunt autem celeb. Propugnatores ad  
asserendam suam propositionem duas cum primis distin-  
ctiones, quibus multum præsidii tribuunt. Prima harum  
*inter causam rei remotam & universalem, quam dispositionem &  
præceptionem divinam faciunt, & jam in controversia non  
esse putant; & inter causam proximam atque immediatam,*

D 2

- (a) *Comment. ad Grot. cit. loc. p. m. 157.* (b) *Tr. de naturali pu-  
dore & dignit. hominis p. 207. qui etiam Part. 1. Opp. ejus  
extat.* (c) *Colleg. Grot. Exerc. IV. §. 4. p. 53.* (d) *Diff.  
de Jure Imperii quasito, Jen. 1674. hab. §. 6.* (e) *De J. N.  
& G. l. 6. c. 1. §. 9. & n. p. 851. Add. Elem. L. 11. Obs. 5. §. 3.*  
(f) *Cit. disp. §. 6. p. 16.*

de qua in investiganda origine alicujus potestatis proprie qua-  
sionem institui, quamque in hoc negotio mutuum consociatio-  
nis pactum esse defendunt, distingvit; quam ulterius illustrat  
altera, quando *DELLM* quidem præcepisse, ut mulier viro obe-  
diat, sed interim tamen necesse esse, ut alia causa propior in-  
tercedat, cujus interventu maritus actu potestatem in uxorem  
acquirat, scribunt. De distinctionum, rationisque inqui-  
rendi in rei alicujus originem bonitate, nihil dicemus, ut-  
pote quæ omnia optimo innituntur fundamento; sed de  
illo omnino dispiciendum erit: an consensus hic sive pa-  
ctum ex consociatione maris & feminae ortum, pro causa  
proxima atque immediata maritalis potestatis sit reci-  
piendus? id quod multis ex rationibus inficiamur. Pri-  
mo quidem instantiis ad hæc respondebimus, iisdem de-  
monstraturi, illam rem, quæ actuale potestatis alicujus  
exercitium nobis confert, ipsa potestatis possessione an-  
te adeptum exercitium ex alio capite jam præexistente,  
non pro causa productiva, proxima atque immediata po-  
testatis haberi posse, sed tantum pro modo acquirendi  
eandem. Sic enim, si in regno succesivo, Princeps natu  
minor, post obitum fratris sui natu majoris, regimine po-  
tiretur, quomodo Potentissimum Poloniæ Regem no-  
strum, *FRIDER. AUGUSTUM*, Electorum Saxoniae  
adeptum esse scimus, certe mors ille fratris non pro cau-  
sa adepti Regiminis, quæ in successione latet, sed tantum  
pro modo adipiscendi, habendus est. Pari etiam ratione,  
quod propius ad rem venit, bellum, quod hodie *CAROLUS*  
*III.* Rex Catholicus, adversus injustum Hispaniæ Invasorem  
*Philippum*, Ducem Andegavensem gerit, atque inscutura  
cum DEO victoria, non erit causa adepti regni, quæ hic in  
justitia hæreditatis sita est, sed tantum modus eripiendi  
id, quod injuria ab hoste occupatum est.

§. VIII.

§. VIII. Porro ex natura consensus, adversus consensum Grotianum disputabimus, atque ex hoc capite eidem causæ proximæ atque immediatæ titulum denegabimus, quia uxor nequidem facultate consentiendi hac in re gaudet. Consentire enim in rem aliquam, involvit repudiationem illius, quod ante consensum penes consentientem erat; & per eundem libertas consentientis ita confringitur, ut necessario jam sit ab illo præstandum, quod antea in arbitrio ejus positum erat, facere an omittere illud vellet. Quomodo autem jam femina in maritale imperium consensisse dicenda est? cum, quod quis non habet, alteri dare non possit, mulier vero omni arbitrio consentiendi destituta, nullaque prædita sit potestate maritali, quam, si vellet, concedere marito posset. Præceptio enim de obedientia uxorum marito exhibenda, divina est, cui, uti nemo resistere, ita nec in illam consentire pro lubitu potest, sed debet. Ast excipitur ad hoc a Dissentientibus: *ad imperium constituendum, necesse semper non esse, ut illud in uno jam formaliter existat, & transferatur in alterum, sed posse omnino per pacta & conventiones mutuas talem moralem qualitatem introduci, quæ actu & formaliter non existebat; id quod contingat, quoties aliquis facultati resistendi alteri renuntiat, & voluntatem, quam antea habebat liberam, interventu promissionis perfectæ alterius arbitrio submittit.* Verum objectio hæc non multum nobis negotii faceffet, cum ab imperio aut potestate quadam in civilibus adhuc ab homine constituenda, ad imperium maritale a Deo ipso per singulare præceptum jam constitutum, difficilem immo nullam esse illationem mihi firmiter persuadeam. Cætera, quæ in apposito exemplo de voluntate ante renuntiatam resistendi facultatem libera afferuntur, petitio principii sunt, cum voluntatem consentiendi liberam, feminae nondum

concefferimus. Quid autem ad illud denique objectum, reponendum erit? quando porro urgetur, *uxorem tamen, etsi potestate maritali nunquam gavisâ fuerit, & parentes ejus ante initum matrimonium, liberam agendi potestatem habuisse, quam deinde in rebus ad finem matrimonii facientibus, in maritum per conventionem transtulerint*; Ad hæc multis modis responderi potest, & regerendum ante omnia per instantiam: exceptionem hanc pari pretio habendam, ac si quis Studioforum in Academia, aut Civium in civitate numero adscribi se pateretur, deinde autem de servandis legibus Academicis, juribusque civitatis obsequio præstando, tractare cum Magistratu inciperet, & ad solum disensum provocaret, cum eo, quod civis in utraque civitate, tam literaria quam politica factus, jam obligetur teneaturque eidem se submittere, quod tamen ante adeptam civitatem repudiare poterat; Pari quippe ratione in matrimonium ineundum liberrima uxoris parentumque voluntas est, quæ tamen in inito deinde matrimonio, cum de observantia marito præstanda sermo instituitur, plane cessat. Matrimonium enim sine inclusa potestate maritali imperfectum est, & *quicquid voluntatis, ut HORNII verbis (g.) uti liceat, & voluntarii pacti in muliere occurrit, id ad contrahendum matrimonium ipsum tantum pertinet, & consequenter interpretandum est ad assensum & approbationem, qua in secuturo certi mariti imperio femina acquiescit*. Probe postea notandum hic est, quod a libertate consentiendi in matrimonium, ad libertatem consentiendi in jus maritalitatis non satis idonee concludatur, ob diversam harum rerum originem; quam HORNII sententiam, quamvis ACHILLES EPSTEINIUS, Commentator atque Censor HORNIANUS, (h.) cum aliis

pro  
 (g) *Sub fn. §. VII. cit. c. 1. Lib. 1.* (h) *In annot. & discuss. in lib. Hornii de Civitate, p. 101.*



pro vana atque inani venditet, exinde tamen admittendam esse arbitramur, atque defendendam suscipimus, quia matrimonium pro causa efficiente cum DEO Institutore & Autore conjugii, atque appetitu naturali, etiam consensum personarum se conjungentium atque parentum agnoscit, ipsa contra potestas maritalis immediate a DEO ortum habet; deinde vero illa consociatio ex qua consensus feminae ad obsequendum viro secundum GROTIUM derivatur, ipsa matrimonii forma est, ex quo si PUFENDORFFII opinio rata habenda esset, incongrue sequeretur, ipsam formam esse causam etiam matrimonii. Tandem ultimo conventio talis qualem verba adducta reposcunt & propugnant, omni caret fundamento, cum ipse maritus, licet ad conveniendum cum uxore ejusque parentibus, de imperio, in rebus ad finem matrimonii pertinentibus, exercendo, promptus esset, tamen jure non possit; id, quod singulari Propositione in ultima dissertatione probatum dabimus.

§. IX. Remotis ita Adversariorum opinionibus incongruis, sobriam nostram de hac controversia sententiam ut addamus, bonae Methodi leges exposcunt. Defendimus ergo, Imperium maritalis, ortu esse divinum, singularemque DEI Institutoris concessionem & praecipuum pro causa sua proxima, immediata atque effectiva agnoscere; naturam insuper hoc esse conveniens, donis suis quibus mares praefeminis ditare solet, ostendere, & consensum denique matrimonium ineuntium, esse modum ad imperium hoc perveniendi legitimum, atque firmum, quod utrique se merito huic divinae voluntati pro ratione conjugii cupiant accommodare.

§. X. In hac vero concessione divina, pro fundamento maritalis potestatis agnoscenda, licet nobiscum  
con-

consentientes habeamus HORNIUM & HENR. HEN-  
 NIGEM, (i) in tempore tamen originis hujus indicando,  
 quando nempe ceperit uxor marito in Societate conju-  
 gali subjecta esse, plane ab illis discedimus, cum nos virum  
 jure hoc maritali & ante lapsum jam in statu adhuc integri-  
 tatis, & post lapsum gavissimum fuisse, cum B. JOH. GERHAR-  
 DO, (k.) JOH. HULSEMANNO, (l.) JO. AD. OSIAN-  
 DRO, (m.) ARNISAEO, (n.) aliisque firmiter statuamus.  
 Si itaque de muliere sermo est ante lapsum, ex ipsa de-  
 pen- lentia feminae ad virum, obnoxiam eandem marito  
 ruisse, ex D. Apostoli PAULI Epistolis urgemus: *non vi-  
 rum ex muliere esse, sed mulierem ex viro; non esse creatum  
 virum propter mulierem, sed mulierem propter virum, ideo  
 quoque debere mulierem super caput habere potestatem; (o.)  
 mulierem non debere dominari, quia Adam primus formatus,  
 ac inde Eva. (p.)* In quibus locis, quod Apostolus de statu  
 loquatur integro, illud satis evincit, quod primae creatio-  
 nis meminerit, quam tristis Protoplastorum lapsus de-  
 mum subsecutus fuit. Nec obstat, quod temporis prae-  
 rogativa, cujus in literis ad TIMOTHEUM mentionem inji-  
 cit, non statim conciliare videatur imperium; nam excipi-  
 mus, Apostolum urgere dependentiam mulieris et costa  
 Viri, eamque pro fundamento collati marito a DEO im-  
 perii sternere, id quod agnoscens Adamus et somno ex-  
 pergefactus, in haec de Eva erupit verba: *Es ex ossibus meis  
 & caro ex carne mea, propterea vocabitur Virissa, quia ex Vi-  
 ro sumpta est.* (q.) Si vero de uxore sermo est post lapsum, ex-  
 presse

- (i) In observat. ad Grot. p. 456. 457. 458. (k) Loc. de Mag. Polit.  
 §. 26. & Comment. in Gen. c. 5. p. m. 116. (l) Brev. exten-  
 s. p. m. 59. (m) Observ. Theol. ad Grot.  
 L. II. cap. 5. th. 8. pag. 737. (n) Loc. cit. de Jur. Connub.  
 (o) 1. Cor. XI. 8. 9. (p) 1. Tim. II. 12. (q) Gen. II. 23.

preſſe de Imperio & quidem oneroſo diſpoſitum eſt, quando DEUS ipſe uxorem alloquebatur, præcipiens illi: *Voluntas tua obnoxia ſit marito tuo, & hic dominabitur tibi.* (r.) Quam juris divini ſententiam poſtea PAULUS ſeveris præceptis, ſuis inculcavit: *ſubjectas uxores eſſe, ſicut Lex dicit;* (s.) *ſubjectas Viris ſuis eſſe in omnibus, quæ ſcilicet ad matrimonium & familiam ſpectant, ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto; mulierem marito tanquam Domino & capiti ſuo, a quo cætera membra leges accipiunt, obedire.* (t.)

§. XI. Jam videndum quoque erit, quid obvertant nobis Diſſentientes; ex quibus HORNIUS cum HENNIGE, ex ſacris literis id demonſtrare conatur, *Principi humani generis tum demum arbitrium in uxorem conſeſſum eſſe ſoleniter, eandemque priſtina libertate exutam & marito ſubjectam, cum hac culpa ſua excediſſet priſtina eminentia; cum deſiceret a DEO & Adamo pariter exiſteret cauſa, ut ſe obſtringeret horribili perduellionis crimine.* Hinc pro æquali in ſtatu integritatis utrorumque conjugum libertate ex duplici capite argumentantur, quorum primum hoc urget, *quod Eva eadem prædita fuerit præſtantia cum Adamo, tam in exercendo idem jus in bruta, quam in ſuſpiciendo neminem, præter DEUM;* alterum vero ex eo deſumptum eſt, *quod, quia Evam ad imaginem perfectiſſimi Numinis conditam, hanc imaginem perfectiſſimam imbecillitatem excludere credimus, citra impietatem Adamo ante lapſum aſſerere imperium, fundamentumque imperii in Eva imbecillitate reponere non liceat.* Sed ad utraſque objectiones reſpondemus, diſtinguendo inter imbecillitatem, quæ perfectionum naturaliter ineſſe debitarum carentiam involvit, & inter g: adualem conſeſſorum donorum differentiam. Illam ex Paradifo omnino relegamus; hanc vero in aſſerendo imperio maritali

(r) Gen. III. 16. (s) 1. Cor. XIV. 34. (t) Eph. V. 22, 23, 24.

ritali ante lapsum respicimus; quia, quemadmodum in vita æterna quoad beatitudinem formalem, h. e. fruitionem ac possessionem summi illius boni, quod desideramus, sine læsione beatitudinis objectivæ, futuri sunt gloriæ gradus, demonstrante id contra SCHOENFELDIUM & VERDERIUM, B. JO. CONR. DANNHAUERO, (u.) ita etiam divinam imaginem ejusque vim tollere aut infringere nequit, quod majorem in Adamo in Paradiso imaginis divinæ præstantiam fuisse defendamus.

§. XII. Verum enim vero, ex aliis adhuc rationibus contra assertum nostrum insurgitur, quando Dn. M. FRANC. ALB. AEPINUM, Rostochii docentem, hoc argumentum urgere legimus, quod, *quia subjectio illa amissa divina imagine, poena loco injuncta est* feminis, ea ante lapsum sine læsione status integritatis, locum habuisse non potuerit; id quod B. LUTHERUS (x.) quoque his verbis agnoverit: *Da aber Heva in der Wahrheit und Unschuld gestanden wäre/ so hätte sie nicht allein nicht döffen unter des Mannes Gewalt und Regiment seyn/ sondern wäre auch eine Gehülffin gewesen des Regiments/ so sezt allein der Männer ist/ &c.* Quibus optime responderi poterit per distinctiones ex Scholis Theologorum mutuatas, inter subordinationem sub potestate viri levem & spontaneam, & inter gravem ac involuntariam; inter imperium in se tale, & inter imperium coactum, molestum & onerosum: inter obedientiam voluntariam & svavem; & inter regimen, conjunctum cum libidine dominandi. Illam, de qua etiam Megalandri verba interpretanda sunt, in statu adhuc integro obtinuisse scribimus; hanc vero statui post lapsum corru-

(u) *Disp. hab. Argent. 1659. de quæst. An in vita æterna futuri sint gloriæ gradus?* (x) *Disp. Rostoch. 1701. de societatis nuptialis in statu integritatis necessitate contra Christ. Thom. ven. il.*

corrupto vindicamus, & inter poenas feminino generi in prima omnium Matre Eva ab ipso DEO dictitatas, numerandam esse judicamus, ita ut etiam invita & stimulante semper dominandi libidine, jugo maritali se submittere obli- gentur. Quæ omnia erudito, quod hanc in rem tulit, ju- dicio D. JOH. GEORG. SIMONIS(y.) concludimus, reputantis, si permanissemus in statu integritatis, non ces- sasse imperium ipsum mariti in uxorem; sed illum sal- tem post lapsum necessarium imperandi modum.

§. XIII. Adultimum denique expediet, Scholliis Con- sectarii nostri, hanc addidisse insuper quæstionem: *cui- nam conjugum hoc maritale Imperium ex lege nature compe- tat?* Controversiæ scilicet hujus annectendæ ansam no- bis suppeditat, Excellentiss. Dn. L. JO. FRANC. BUD- DEUS, Prof. Hallensis celeberrimus, cujus hac de re sententia his verbis concepta est: (z.) *Finis Societatis conjugalis non requirit, ut imperium sit penes maritum: ut ut ratio di- ctitet, hoc esse consultius. Ergo si ex lege nature matrimoni- um spectemus, conjuges aut aequales esse, aut uxori imperium tribui potest. Non jam multis circa illud assertum occupati erimus, quod imperium ratione finis, quem matrimoni- um intendit, non marito conferendum sit, cum deductio hæc, dubia Cl. Viri de fine conjugii hypothefi nitatur, quod nempe ille si conjugium secundum leges nature consideremus, in sobolis procreatione tantum consistat; (aa.) male enim omif- sum hic est mutuum adjutorium, ad quod tamen condita a DEO est mulier, & in cohabitationem marito data, qui eandem etiam statim vi juris naturæ pro conjugel & car- ne sua agnoscebat; (bb.) quo vero posito, optime sequi- tur,*

E 2

(y) Not. in Guil. Grot. de Princ. Jur. Nat. ad c. X. §. 1. (z) Elem. Phil. Pract. c. IV. Sect. X. §. 9. (aa) l. c. §. 3. (bb) Gen. II. 18. 23.

tur, ipsum etiam matrimonii finem marito, seu majoribus adjuvandi causa, viribus & virtutibus instructo, imperium nullo modo denegare, sed potius adscribere. De reliquis autem Buddeanae sententiae assertionibus ex instituto dicemus, consideraturi, qua veritatis specie doctissimus Anragonista, rationem Legi Naturae opponat, imperium autem maritale jure naturae aut plane nullum, aut, quod maximum est, uxori adscribendum esse, defendat. Primum indubitato falsum assertum, ut eidem tribuamus, haec nos causa movit, quod ille ex ratione consultius esse penes maritum imperium hoc statuere, ex lege naturae vero penes uxorem esse, scripserit; sed incongrua haec est rationis & legis naturalis collatio: Aut enim intelligit hic Dn. Dissentiens rectam, aut corruptam rationem: Si hanc intendit, in omnem Doctorum Moralis Philosophiae institutionem, impingit, qui actus hominum corrupta ratione depravatos, ad honestatem felicitatisque consecutionem per Legem naturae & rectam rationem dirigendos esse nos docent. Immo contradiceret sibi ipsi, cum alio loco *legem naturae decretum Numinis dixerit esse, hominibus per rectam (non corruptam) rationem innotescens.* (cc.) Si illam respicit, recta ratio Legi naturae minime contrariatur, sed potius succenturiatur; cum, quae Lex Naturae praecipit, in genere praecipiat, & praecipio talis deinde per rectam rationem applicetur, nequaquam vero destruitur, quod tamen fieret, si ratio consultius quid esse distitaret, quod Jus Naturae pro incongruo venditaverat. Aequalitatem conjugum ex lege naturae deducendam, quod concernit, cum nos jus naturale in homine integro omnino fuisse cum B. VAL. ALBERTI (dd) contra GEORGIUM

(cc) *Elem. c. IV. Sect. 1. §. 1.* (dd) *Disp. de Jure naturali Para-*  
*disiaco Lips. 1695. hab.*

UM *van der* MOELEN, *Jctum Ultrajectinum* statuamus, immo e statu integro in corruptum idem bene derivari posse, sentiamus, ex imperio itaque maritali, quod Adamum in Evam ante lapsum per dependentiam feminæ a viro habuisse, antec. aphorismo probavimus, contra æqualitatem hanc conjugalem merito disputamus. Accedit, quod nulla societas absque ordine personæ quæ regit, & quæ regimini paret, consistere possit, licet imperium ipsum non semper sit coactivum; quemadmodum ipsos etiam Angelos, qui tamen sponte faciunt, quæ facienda erant, ordine non carere, sed suos habere *thronos, dominationes, principatus & potestates* ex S. Literis (ee) scimus. Denique, quæ de imperio, uxori ex lege naturæ tribuendo, dicta sunt, illa sine fundamento apposita nobis videntur, & omni Juri Divino, meliorum Gentium, Civili & Canonico, probante *id celeberr. quondam Jenensium Jcto*, JOHANN STRAUCHIO, (ff) adversantur. Nescimus certe, quem sequatur hic Cl. Vir. nisi quod idem de Eva supra virum in statu integritatis constituta statuere videatur JOH. BAPT. HELMONTIUS, (gg) quando historicam de lapsu primorum parentum S. Codicis descriptionem, blasphemie pro parabola tantum habet, & lapsum ipsum in concupiscentia carnis constituisse per suadere nobis annititur, impie asserens: *vetiti ligni fructum, ignorantiam & negligentiam DEI, Adamum fidem, Evam vero liberam rationem, & serpentem demum fallentem, sensualitatem denotare*; refutatus propterea a *celeb. Dn. D. JOH. ANDR. SCHMIDIO*.

E 3

(ee) *Dan. X. 13. Coloss. 1. 10.* (ff) *De Jure marit. in uxores resque uxorias, sect. I. §. 3. sqq.* (gg) *Ort. med. sive init. Phys. inaud. Libr. de mortis introitu in naturam human.*

DIO. (hh) Nos ergo, ipsam Legem naturae viro etiam  
attribuere maritale imperium, & feminam nulla juris spe-  
cie idem sibi adscribere posse, firmiter asserimus, hono-  
remque obediendi femiino sexui proprium relinqui-  
mus.

(hh) *Disp. cui Tit. Jo. Bapt. Helmontii, Philosophi per ignem, in do-  
ctrina de statu integritatis & corruptionis, errantes ignes.*


\* \* \* \* \*


Habes itaque B. L. posteriorem quoque de Gynæco-  
cratia maritali dissertationem nostram, sed non talem, qualem  
tibi offerendam nobis proposueramus. Argumenti enim no-  
stri materia, adeo sub manibus nostris nobis præter opinionem  
excrevit, ut concessæ disputantibus ab Ordine Philosophorum  
per Leges diæ plagulæ, eandem absolvere non potuerint; Cæ-  
tera, quæ restant, quo minus novis disputationibus exhibere tibi  
hic queamus, angustia temporis discedentibus nobis ab hac alma  
studiorum nostrorum Matre, non permittit; quapropter ma-  
jorem in modum a Te experimus, ut fatis nostris benevole ve-  
niam des, & residua argumenti hujus, peculiari quadam ali-  
quot plagarum disputatione, ex alia Academia cum DEO  
& die expectes.


✠ (:o:) ✠











AB: 154566

ULB Halle

003 120 163

3




Sb.

Vb 17 VD 18







5. 36. 36

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO,  
FRIDERICO AVGVSTO,  
DE  
GYNÆCOCRATIA  
MARITALI,

ExOeconomicis,

*Ad Diem XIX. April. A.C.M. DCCIV.*

H. L. Q. C.

PRÆSES

M. GOTTLIEBUS SCHELGVIGIYS,

Gedan.

ET RESPONDENS

SAMUEL RICHTERUS,

Nimiciens. Siles.

DISPVATIONE POSTERIORI,

different.

---

VITEMBERGAE,

Prelo CHRISTIANI GERDESII.

35/a